



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Concilium Arelatense III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO
CHRISTI
455.

^k *Vt diaconi presbyteris deferendum esse.*] Hoc idem constitutum fuit ante annos plusquam centum in Concilio Arelatensi primo, Canone 14. his verbis. *De diaconis vrbicis, vt non aliquid per se presumant, sed honor presbyteris referuetur.* Diaconi ob bonorū administrationem sibi commissam, maiore honore a populo obseruabantur, eaque occasione aduersus presbyteros ceruicem erigebant, eosque contemnebant; & cum ex antiqua lege ecclesiæ, presbyteris sedentibus, ipsi stare tenerentur, ex administratione bonorum elatiores facti, contra has leges & obseruationes ecclesiæ agebant. Cum ergo ille diaconorum fastus aliquoties depressus, hoc tempore in Galliis vicissim repullulasset, opus fuit, vt ecclesiasticæ censuræ securi malum alias amputatum iterum succideretur. Vide quæ de fastu Romanorum diaconorum, de contentione inter diaconos & presbyteros Romæ exorta, dixi supra tomo primo in notis ad vitam Anastasi I. verbo *Constituit, vt quoties euangelia canerentur, sacerdotes non sederent, sed curui starent.* Item quæ de diaconis dixi in notis Concilii Romani II. sub Siluestro, & Carthaginensi IV. Can. 34.

Cap. 1.
Diaconorū
arrogantia
quæ & vnde.

^l *Vt a crimine perputationis.*] Ita etiam mendose legit manuscriptus Meldensis. Sed pater Fronto in notis suis marginalibus, quas mihi transmisit, legendum putat *peruassonis*. Hoc enim sensu vsurpabant illud isto sæculo: vt peruadere sit alienas res inuadere, ac per vim vsurpare. Sic Concilio Agathensi, Can. 29. *Libertos legitime a dominis suis factos ecclesia tueatur: quos si quis ante audientiam aut peruadere aut exspoliare presumpserit, ab ecclesia repellatur.* Item Turonensi I. Can. 9. *Vt aut diæceses alienas, transgrediendo terminos a patribus constitutos, peruadat.* Hæc pater Fronto Ducaeus.

Cap. 3.

^m *Familiaritatem.*] De habitatione mulierum cum sacerdotibus & clericis, plura dixi supra in notis Can. apost. Concilii Elibertini, Nicæni, &c.

Cap. 4.

ⁿ *Non nisi vnius uxoris viri.*] Decernitur ne bigamus ordinetur. qua de re vide notas Can. apost. 17.

Cap. 11.

ANNO
CHRISTI
455.
CONCILIVM ARELATENSE III.
A RAVENNIO EPISCOPO IN CAUSA
Fauſti abbatis insulæ Lirinensis & episcoporum celebratum, Leonis I. papæ temporibus, circa annum Christi cccclv.

Exemplar epistolæ generalis, quæ ad episcopos inuitandos in causa insulæ Lirinensis missa est.

QUOTIENS membrum aliquod quolibet infirmitatis genere laborat, fieri non potest, quin eiusdem corporis etiam cetera membra condoleant. Et ideo causam

quæ inter sanctum episcopum Theodorum & sanctum Valerianum, vel sanctum Maximum, item episcopos, atque abbatem Faustum, nec non & reliquos fratres insulæ Lerinensis acciderat, absque dubio omnes nos, qui in Christo vnum sumus, differre non possumus, nisi id agamus qualiter curetur & abstergatur. Ad hoc itaque remediandum scandalum orationibus vestris tertio Kalendas Ianuarias audientia dies est constitutus. Rogamus ergo, vt sanctitas vestra se vsque Arelate fatigare dignetur: quatinus tantum malum, quod dilatione plus crescit, beatitudinis vestrae presentia terminetur. Talis enim causa, quæ tam grande scandalum gignit, sicut atrocitate sui multos inuoluit, ita plures qui in Christo medeantur, exposcit. *Ad eos qui in ipsa insula sunt.* Beatitudinem vero vestram præcipue adesse conuenit, quos insula ipsa velut sinu quodam genitricis fouens, ad eam gratiam, quæ nunc in vobis est, Domino instigante produxit. *Ad sanctum Rusticum.* Ac præcipue beatitudo vestra vt adsit, primum deprecamur; quia grauior infirmitas necessario medicos peritissimos inquirat.

*INSTITVTIO SANCTORVM EPISCOPORVM
Rauennii, Rustici, Nestarii, Flori, Constantii, Asclepii, Maximi, Iusti, Salonii, Ingenui, Ynanti, Zotici, Chrysanthi, in
causa insulæ Lerinensis.*

CVM Arelate in secretario ecclesiæ conuenissemus, præmissa prece ad Dominum, nullo extrinsecus arbitro interueniente refedimus, de remedio scandali, quod in monasterio in insula Lerinense obortum fuerat, pertractantes. Placuit ergo nobis sancto, vt credimus, Spiritu gubernante, vt omnibus quæ in querelam venerant, solite ventilatis atque discussis, sanctus ac beatissimus frater Theodorus episcopus primum exoraretur a nobis, vt scandalum quod & ipse, sicut & nos, grauius dolebat exortum, differendo in tempora manere diutius non pateretur, sed potius ad recipienda satisfactionum remedia festinaret, & sanctum presbyterum Faustum, abbatem monasterii supradicti, indulta, si qua illa esset, culpæ venia, in pristina pace toto caritatis affectu reciperet, & ad insulam ac congregationem ipsi Deo dispensante commissam,

ANNO
CHRISTI
455.

fam, cum sua gratia & caritate remitteret. Nec quidquam deinceps ex his quæ sibi fratrem Faustum arguebat fecisse, aut verbis repeteret, aut animo retineret. Quin potius conlationem, vtpote antiquus abbas & episcopus, ei vt piam ac necessariam perpetuo exhiberet, & solatia secutura, quæ verbis dignabatur promittere, rebus ipsis, in quo vsus exigeret, plenissime exhiberet. Hoc tamen sibi tantummodo vindicaturus, quod decessor suus sanctæ memoriæ Leontius episcopus vindicauerat: id est, vt clerici, atque altaris ministri, a nullo, nisi ab ipso, vel cui ipse iniunxerit, ordinentur: chrisma non nisi ab ipso speretur: neophyti si fuerint, ab eodem confirmentur: peregrini clerici absque ipsius præcepto in communionem, vel ad ministerium non admittantur. Monasterii vero omnis laica multitudo ad curam abbatis pertineat: neque ex ea sibi episcopus quidquam vindicet, aut aliquem ex illa clericum, nisi abbate petente, præsumat. Hoc enim & rationis & religionis plenum est, vt clerici ad ordinationem episcopi debita subiectione respiciant: laica vero omnis monasterii congregatio ad solam ac liberam abbatis proprii, quem sibi ipsa elegerit, ordinationem, dispositionemque pertineat; regula, quæ a fundatore ipsius monasterii dudum constituta est, in omnibus custodita.

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

1 Circa annum 455.] Cum Rauennius Arelatensis episcopatum inierit, vt vidimus, anno 449. idemque Leone adhuc superstite, hoc est, ante annum 461. vita functus sit, vt Hilari papæ ad Leontium Rauennii successorem epistolæ docebunt, consequens est, vt Concilium hoc, cui Rauennius præfuit, vno aliquo intra hos fines anno celebratum intelligamus. Eius vero exemplar nobis suppeditauit optimus & antiquissimus codex ecclesiæ Lugdunensis, cui & alia in hoc opere plura debemus.